Woszczyna Ioannis: Quaestio physica de quidditate temporis.

D. O. M.

QVÆSTIO PHYSICA,

DE QVIDDITATE TEMPORIS,

Ad diſputandum publicè
IN ACADEMIA CRACOVIENSI,
Sub felicibus auſpicijs
Jlluſtris, Magnifici, & Admodum Rndi Domini,

D. GREGORII MODLINSKI,

S. Th. & I. V. Doct. Præpoſiti ad S. ANNAM,
Scholarum Vladislauianowodworſcianarum Prouiſoris,
Almæ Vniuerſitatis Cracouienſis
GENERALIS RECTORIS
VIGILANTISSIMI.

A

M. JOANNE WOSCZYNA,

Contubernij Philoſophorum Seniore, Eccleſiæ Collegiatæ
S. ANNÆ CANONICO
Propoſita.

Anno Domini, 1653. Menſe Iulio, Die 29 Hora 10

CRACOVIÆ,
In Officina Viduæ & Hæredum Franciſci Cæſarij, S. R. M. Typog.

QVÆSTIO PHYSICA, De Tempore.

V. Tempus ſit Ens reale, de genere quantitatis, quod eſt menſura motus ſecundùm priùs, & poſteriùs, in Continuum, & Diſcretum diuiſum, à motu realiter diſtinctum: ſitque vnum numero, quò omnes res menſurantur necne?

CONCLVSIO I.

Tempus eſt Ens reale, de genere quantitatis.

COROLLARIA.

I. Tempus non eſt reuolutio cœli, neque motus cœli.

II. Tempus non eſt Sphæra, licet in orbem eat.

III. Tempus non eſt fluxus, nec continuitas continuitatis.

IV. Tempus non eſt relatio, aut duratio.

V. Tempus non eſt continuitas priuatiua motus, aut continuitas poſitiua.

CONCLVSIO II.

Tempus eſt numerus motus, ſecundùm priùs, & poſteriùs.

COROLLARIA.

I. Tempus ſic definitum, eſt ſubiectiuè in primo mobili, illiq; ſoli competit.

II. Eadem nihilominùs definitio temporis, poteſt accommodari tempori intrinſeco, aliorum motuum particularium.

III. Non motus tantùm, ſed etiam eſſe rerum generabilium, & corruptibilium tempore menſuratur.

IV. Ex definitione temporis, rectè inferuntur, omnes proprietates, & omnes ſoluuntur difficultates.

V. Quemadmodùm tempus eſt menſura motus: ita & quietis.

CONCLVSIO III.

Tempus rectè diuiditur, in Continuum, & Diſcretum.

COROLLARIA.

I. In tempore continuo, vnum eſt inſtans Extrinſecum, multiplex Intrinſecum. In diſcreto plura ſunt inſtantia, vt in numero plures vnitates.

II. Inſtans Extrinſecum, quando dicitur eſſe diuerſum ratione, non aliud importat, quàm eiuſdem inſtantis replicationem, ex qua replicatione, conſurgit tempus, & inſtantia, quibus partes temporis continuantur.

III. Etſi nihil ſit temporis continui, niſi hoc inſtans Extrinſecum, non tamen hoc inſtans eſt aliquid temporis.

IV. Sicut inſtans temporis intelligitur, veluti numerus partium numeratarum in continuo tempore: ita inſtans æternitatis intelligitur, vt vnitas rei, per ſe eodem modo ſe habentis, quo ad ſubſtantiam, & operationes.

V. Æuum eſt medium, inter æternitatem, & tempus.

CONCLVSIO IV.

Tempus à motu realiter diſtinguitur.

COROLLARIA.

I. Etſi diſtinguantur realiter, non tamen realitate maximâ, ſed minori.

II. Cùm definitur tempus, per motum, illa definitio non est formalis, sed causalis.

III. Ita distinguuntur proprietates motus, & temporis inter se, vt motus & tempus inter se distinguuntur.

IV. Priùs, & posteriùs, à priori, & posteriori motus, ita distinguuntur, vt motus, & tempus.

V. Successiuo Enti non repugnat distingui realiter, ab alio successiuo, licet non habeat totum esse simul.

CONCLVSIO V.

Tempus est vnum numero, quo omnes res sublunares mensurantur formaliter, & completè acceptum.

COROLLARIA.

I. Tempus cuiusuis rei naturalis intrinsecè, subordinatur tempori primi mobilis.

II. Nomina tempus significantia, Mensis, Annus, Lustrum, Olympias, Indictio, non inferunt pluralitatem temporum.

III. Licet motu mensuremus etiam hoc modo tempus, non tamen inferetur vnquam plura esse tempora, quia plures sunt motus.

IV. Quemadmodum vnum statuimus tempus horum inferiorum, illudq; ponimus in primo mobili: ita tempus Angelicum in primo Angelo.

V. Pro motibus Corporum gloriosorum, vnum etiam tempus statuimus, nempè mensuram motus CHRISTI DOMINI *Saluatoris nostri.*

Cui sit Laus, Virtus, & Gloria.